



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Lambertvs Ep. M. 17. Septembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

Dunstano spectandam se dedit, monuitque corpusculum tolleretur integrum tunc etiam, si membra quibus in mollietate ad levitatem abusa esset, exciperet. Itum & inspectum monumentum est, fidemque fecerunt præter oculos, pedes & manus, omnia reliqua à tabo immunia membra. Sed & in dextrâ pollex à putredine fuit eximius. Quid quod cum miraculum Canutus Rex rideret, reserato iterum loco media sepulchro se extulit, manumque injicere improbo paravit? Supplicem tamen & in gratiam recepit, & inter undas postea servavit. Magni hæc olim Anglia miracula faciebatur, plura ego Angliam, si in vitam nobis EDITAS revocaret. *Ex Graf.*

A tuâ dignitate nimis enormiter & ignominiosè te dejicis, si transitorias & inanes pulchritudines appetis. Mundus propter te factus est, ideo mundum non ames. quia Mundus non est te dignus, tum sis eo longè dignior. S. Bern. opusc. de Char. 29.

S. LAMBERTVS EP. M. 17. Septembris.

LAMBERTVM Trajectensi mitrâ ornatum Theodoricus Rex in exilium expulit. Ille cum in Monasterium Stabulense se recepisset, tum denique in patriâ sibi visus est vivere, exilium omnium miserrimum maximumque mundum ratus. Obsequio sancto fasces suos ita submitit, ut Abbatis imperio, sævissimâ hieme, sub cruce preceando noctem transegerit, unico contra frigiditatem cilicio armatus: sed hoc scilicet diviti in pectore ignes propulsarunt, quos in reditibus vultu splendor insolens prodidit. Septimo abhinc anno cum Pipinus Rex Trajectensibus Pontificem suum, Pontifici solium suum reddidisset, his tum gra-

gratum se fore existimans, si regia fama & salus
 consuleret, liberrimis verbis ob pellicem Alpaiti
 castigavit, hanc neque poculo, neque alloquio, le-
 ceter multum ambiret, dignatus ostendit etiam
 hæc, quid mulier irata & pellex posset; & germa-
 no adnidente Dodone, LAMBERTVM cum sociis
 obruncavit. Sed & cælum iratum ostendit, quod
 contra impios posset, Et Dodoni quidem putro-
 scenti humum etiam negatam scribunt: cum vero,
 qui Diyo lethale vulnus infixit, duello & fratrem
 peremisse, & peremptum ab eodem fuisse, omnes
 denique scelerum socios aut mortuos ilico eius
 aut diu, hoc est miserè, vixisse. Illud omnino me-
 morabile, odium, quo infandos amores perseque-
 batur LAMBERTVS, ab animo etiam in corpus de-
 mortui transisse, & cum passim exanimi oscula
 ferret vulgus, arcanâ vi solas ab his pellices exclu-
 sas esse. Atque huius odii tam sancti hæredem te-
 hodie LAMBERTVS vult, Mariane. Ex Sarrâ
 & Grass.

*Quid suavius homini, quid iucundius, quam
 munus contemnere, & se reputare seculo celsiores
 atque in bona conscientia vertice consistentem mi-
 dum habere sub pedibus, & nihil in eo videre quod
 appetat, cui invidiat, quem metuat? S. Bern. op. de
 Char. c. 18.*

S. SATYRVS C. 17. Septembris.

Ambrosium in SATYRO vides. Nam frater huius
 illius fuit, non virtute modo, sed vultu quo-
 que & habitu corporis tam germanus, ut familia-
 rium etiam oculos falleret. Et nescissent hi se-
 pius, quamnam ex duobus alloquerentur, nisi
 amor & vitæ morumque similitudo, adeoque ani-
 morum consensus unum jam pridem ex geminis
 fecit.